

1524

statem perveniret , nihil tamen , nisi denuo consulto Senatu , fieri placebat . Quid enim si Cæsareani , Ticino amissis , adhuc milites sub signis continerent , atque haud dispare viribus , justo prælio cum hoste congredi vellent ? quid si Gallus multa cum cæde , ac sanguine urbe potiretur ? Temporis momento dubios humanarum rerum casus verti ; plurimum fortunam in bellis posse ; quocirca nihil incerto eventui committendum , neque aliquid absque Patrum consensu in re tanta perficiendum . Qui alterius erant sententiæ , summopere cavendum esse , ajebant , ne ambiguo responso Pontifex turbatus , atque in hac rerum fluctuatione incertus , Reipublicæ consilia suspecta , amicitiam parum fidam opinaretur , separatimque ab ea consilia caperet , quo nil periculosius , nil durius hoc tempore accidere posse : ut contra nil salubrius , & conducibilius , quam communia consilia , communem mentem cum Pontifice habere : nulli dubium esse , quin de toto belli eventu ex Ticinensi obsidione conjectari possit ; unde non modo Gallie Cæsalpinæ , verum etiam totius Italæ res pendere necesse sit . Verum cum in neutram sententiam Senatores ivissent , Hieronymi Pesarei consilium audivit , ac probavit Senatus . Is neque Pontificis animum in suspicionem adducendum , neque statim Ticino occupato , foederis conditiones amplectendas , quæ extremæ erant sententiæ , censebat : facile id assequi posse , si Foscarus Clementi ob oculos poneret , auctas senis Germanorum peditum millibus Cæsareanorum copias , comparatam ducentum quinquaginta aureorum millium pecuniam , Hispanorum militum auxilia , quæ propediem in Italiam ventura fama vulgaverat . Quid si Ticiani expugnatio multo sanguine , cæde , detimento Gallis constet ? tunc (nisi importuna celeritate utendo , nimis anxii de Gallorum societate videamur) majori certe cum utilitate , ac dignitate totam rem transfigi posse : neque vero hæc ea de causa dici , ut quidquam de illius egregia prudentia , & virtute ambigatur ; sed , ut ad præstandam singularem animi gravitatem , ac moderationem , qua mirifice excelleret , eo magis inflammaretur ; Senatum nunquam ab illius consiliis , ac voluntate alienum fore . Eodem fere tempore Prorex Carolum Aragonium , Franciscus Sfortia Equitem Bilium Venetias misere , qui Patrum Collegium ingressi , voce , & scriptis in hanc sententiam sunt loquuti .

Carolus
Aragonius
& Eques
Bilus a
Prorege &
Sfortia ad
Venetos
missi .
Oratorum
Aragonii ,
& Bilit
oratio .

Ni-